



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae
Historiae Decas Prima**

Martini, Martino

Monachii, 1658

Septimus Imperator Taius. Imperavit annis LXXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11848

SEPTIMUS IMPERATOR
TAI LU S.

Imperavit annis LXXV.

*Cyclo 18. anno
41. ante Chri-
stum 1641.*

Hic YUNGYE I frater germanus fuit, cujus exordia imperij ostentis præsignia fuere. In ipsâ enim regiâ morus & triticum sponte tantaque celeritate sunt enata, ut septem dierum spatio & morus in arborem adulta fructus proferret, & frumentum jam maturum spicas exhiberet. Præterea putei etiam altissimi præter naturæ legem simul exundavere. Territus cā rerum facie Imperator, ut proni sunt Sinis ad superstitionem animi verensque, ne quid sinistri portenderetur, ē Præfectis quemdam CHEUM nomine, jubet ex ijs prodigijs in futurum conjicere. Ille prudentissime, nihil contra veram virtutem portenta posse respondit. *Si gentem tibi subiectam ex exquo bonoque gubernaveris, inquit, nihil erit, quod labefactet felicitatem tuam.* Digna Imperatore, digna cordato consiliario responsio. Nec in irritum cecidit. Quippe salutare consilium secutus TA I U S, totus in virtutem incubuit, & insigni probitatis ac prudentiae laude majorum suorum quorumcunque famam ad decus æquavit. Illud inter ejus facinora non ultimo loco celebratur, quod ad sustentandam pauperculæ plebis senectutem in singulis urbibus certam de publico annonam constituit. Unde morem illum ad hæc usque tempora fluxisse putem, ut in qualibet civitate Xenodochium exstet, in quo certus senum numerus publico sumtu alatur. Justitia in primis ei curis erat. Quotidie summo manè faciles aures dare ad se venientibus, neque prius ē tribunali surgere, quam omnibus, qui se convenienter vellent, copiam fecisset sui. Quæ res tenuiorum præcipue fortunis & innocentiae profuit, quæ non raro à potentioribus obteritur; & simul prætorum æquitatem intendit, ab Imperatore vindicari timendum. Ita cùm à paucis timeretur, amorem omnium promerebatur. Et, ut P̄incipium exempla in familiares dimanant, eximios aliquot ac prestantes ministros habuit, quorum auxilio ipsos septuaginta quinque annos imperium perpetuò pacatum obtinuit. Nihil portentis in regiâ virtutem audentibus; quâ nullum est potentius adversus omnium terrores amuletum.

O C T A .